



ergo in loco illo ex processionali legenda, et indulgentias accepimus (†).

Deinde dimisso illo loco ultra processimus, et in via ad latus domus Martharum transivimus, quae est satis magna, ex opposito ecclesiae Syon. In illa domo sunt quaedam foeminae de Italia christianae, de ritu nostro, quae Marthae fratrum vocantur; quia fratribus serviunt propter Deum, lavando, suendo, nendo, et ecclesiam fratrum frequentant. Sunt enim vetulae, valde maturae et honestae, degentes sub tertia regula S. Francisci, cum multa patientia et sustinentia. Non fuit elapsus unus annus, quando in Jerusalem fui, quod quidam Arabes nocte effracto ostio cum tumultu illarum dominarum in domum irruerent, et omnia reperta rapientes aufugerunt, domo spoliata. Cum eram ibi degens (**B**), lavabant mihi tunicam meam, et scapulare, et alia charitatis opera ostendebant mihi. Cum illis mansit etiam illa foemina de curia reginae Cypri, de qua dixi fol. 69. A. Juxta hanc domum contra orientem processimus, et a via, quae ducit in vallem Josaphat ad dextram declinavimus ad domum quandam bene munitam et clausam, sicut domus Christianorum sunt. Pulsanibus autem nobis venerunt homines nigri, solis ardoribus adusti, longae staturae, et in vultibus cauterizati, et patefecerunt nobis ostium. Erat enim monasterium Indianorum, in quo morabantur monachi cum foeminis, et sunt de rigorosissima vita, et mirum est, videre eorum despectum habitum. Cum autem ingressi fuisset, duxerunt nos per quoddam ostium in habitaculum obscurum, in quo est descensus tenebrosus per medium rupis praeruptae, et per illum descensum cum luminibus venimus in specum squalidum, subterraneum, petra desuper pendente, imo ipse specus caverna petrae est, et ibi locum orationis invenimus. Est enim ibi, ut habet antiquissima traditio, locus ille, in quo David egit poenitentiam super peccato occisionis Uriae, de quo habetur 2 Regum 12., ubi de David dicitur: ingressus est seorsum, jejunavit, oravit, flevit, cilicio, disciplinis flagellisque se castigans, et VII. psalmos poenitentiales ibi fecit, et crebrius eos legit, et lugubri lamentatione eos depromsit. Nec erat tempore David spelunca haec extra curiam regis, sed intra, quia curia magna

274

272

278

268

283

263

323

223

373

173

Ende

Anfang